

**CONSELLO DA CULTURA GALEGA  
GALLAECIAE MONUMENTA HISTORICA**

**916/ 08 / 18**

**576**

*Gutier, pai de San Rosendo, dóalle á súa muller Ilduara, como dote, varias propiedades tanto en Galicia, como en Asturias.*

TC, fol. 198r1

Ed. por GARCIA ALVAREZ, M.R., "Gutier", op. cit., doc. 1, 145-146. Rexesto en PELAEZ, M. - BANCHS DE NAVA, J., op. cit., doc. 29, 81-82

In Dei nomine. Ego Guttier tibi uxori mee Ilduare in Domino Deo eternam salutem. Magnus est titulus donationis in quo nemo potest actuum largitatis intrumpere sed quicquid grato animo et prona volumtate offertur semper libenter amplecti. Ideo dono tibi iam dicte Ilduare ego iamdictus Guttier in territorio Asturiense villa qua vocitant Cordovarium ab integritate, qui est fundata iuxta ripa rivi Arancum, cum adiacentiis vel cunctis prestationibus suis. In territorio Galiciense villam dono tibi quam dicunt Portum Marini similiter ab integritate cum ad eum adiacentiis vel cunctis prestacionibus suis sive dono tibi in territorio de Buvale secus ripa flumine Minei meam portionem in villa Canetum ab integrum cum adiacentiis suis quanticumque sunt in giro villa Cannetum per ripa fluminis Minei, et in alia villa Perarias meam portionem quantum me in ea competit, ab integrum tibi dono atque concedo per terminis et locis suis cum aiacentiis et cunctis prestationibus suis. Sive dono tibi in Villa Nova meam portionem vobis integrum, quantum me in ea competit cum omnibus prestationibus suis, introitis atque exitibus, montibus et fontibus sive adiacentiis et prestationibus quicquid ad eades villas pertinet. Adicio etiam tibi per hanc scripture donationis quantumcumque ganare valui, de qua dote in coniugio copulavi vel ganare aut augmentare potuero que usque ovitum meum de munificentia regis, de preda vel de ex aliquo ganato quod te per lege gotorum non competebant, tam in argento, in servos vel origine maurorum, medietatem tibi et posteritati tue dono atque concedo. Ita ut ex presenti die et tempore de nostro iure sit abrasum et iuri tuo atque dominio<sup>19</sup> sit confirmata (...)<sup>20</sup> volueris liberam (...) 21 habeas potestatis tu et omnis posteritas tue (...)<sup>22</sup> sive quod fieri minime credo aliquis (...)<sup>23</sup> suam aut meam tibi ad intrupendum venerit (...)<sup>24</sup> dicare non valeo (...)<sup>25</sup>.

Facta cartula [dona-]tionis XV kalendas Setembris. Era (...)<sup>26</sup>.

Guttier hanc donationem a me factam fieri volui et relegendi cognovi manus meas (signum).

Sub Christi nomine Assuri Dei gratia episcopus cfr. Guttier Osoriz cfr. Quintila Suariz cfr. Rudericus Menendiz cfr. Analus Suariz cfr. Arias Menendiz cfr. Suarius Suariz. Romarigus Sisnando cfr. Gudinus Gundesalvi cfr.

Gundemarius notarius hac karta scripsi in villa Peraria.

<sup>1</sup> Este é o último folio do Tombo, pero é unha adición posterior, xa que o folio está encabezado por grandes maiúsculas que din *INCIPIT LIBER TERCUS*.